



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XX. Fides publica à Pontifice data cuicumque Bononiam accessuro.
Legatorum studia, vt eò Præsules traherentur. Nona Sessio ibi celebrata,
sanctionibus ad secundam Iunij prorogatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

Fides publica à Pontifice data cuicumque Bononiam accessuro. Legatorum studia, vt eò Præsules traherentur. Nona Sessio ibi celebrata, sanctionibus ad secundam lunij prorogatis.

- P**ontifex ad abolendam suspicionem, quam poterat quibusdam incutere ciuilibus quam exercebat Bononiæ dominatio, vigesimo nono Martij diploma vulgavit, quo narrabatur, honestis necessariisque de causis à Synodo in S. Spiritu legitime congregata commigrationem Tridento ad eam urbem suæ ditionis fuisse decretam; proinde Pontificio nomine securitatem publicam quibuscumque ad continuandam Synodum eò confluentibus offerri, commodam præterea hospitalitatem sponderi, libertatem abeundi, atque omnis molestiæ sibi, famulis ac bonis, cuiusuis noxæ titulo, immunitatem. Legatis quoque imposuit, ^a vt omni ope eorum Patrum, qui Tridenti prius aderant, celerem aduentum curarent. Id autem facile obtinere Præsides ferè ab iis omnibus, qui vel morbi metu inde discesserant, vel translationi suffragati in Venetam ditionem diuerterant; alij vt sacrationis hebdomadæ functiones exercebant in Ecclesiis, quas ibi obtinebant, alij vt animum ex toleratis laboribus recrearent: non tamen ita facile ab iis, quibus integra res non erat, sicuti nec voluntatis libertas, cum ex illis quidam suorum Principum opperirentur mandata, cuiusmodi erat Gallus, ^b qui Ferrariâ id Legatis significauit, & etiam Lusitanus; quidam verò adire vetarentur, cuiusmodi erant Casariani.
- ² Hi à Legatis inuitati sunt litteris duodecimo Aprilis conscriptis, ^c sententiâ quidem concordibus, non item verborum texturâ: in ea nec litteræ omnes inter se similes erant, quod Montano probabatur, nec omnes dissimiles, quod Ceruino placebat; sed pro eo ac vsuuenit in opinionum dissidiis inter æquales, medium consilium inuitum, & litteræ quadruplici formâ conscriptæ. Exponebatur in his, peruenisse Bononiam Patres, ibique perhumaniter habitos: eadem ipsi sponderi, quibus certò ac liberè fruerentur, simulque inuitari, vt ad celebrandam præscripto die Sessionem accederent. Porro Concilij tabellarius, qui litteras deferret, legitimè designatus est: hæ verò prius cum autographo, quod apud Massarellum mansit, collatæ coram testibus, deinde coram iisdem clausæ obsignatæque tabellario traditæ sunt; ^d qui eas pariter, accersitâ testium fide, singulis qui aduocabantur Patribus Tridenti reddidit: sed hi responde-

^a Apparet ex litteris Ceruini ad Massarium, 14. Aprilis 1547.

^b Ex eadem Ceruini Epistola.

^c Ex Diario Massarelli, & copiosius ex Actis Concilij in Arce Rom. in volumine notato A. in quo habentur cuncta infra recensenda, vel in hoc, vel in sequenti libro, gesta aut Bononiæ aut Romæ, de controuersia translationis.

^d In Diario, 27. Augusta 1547.

1547.

e Extat in Apologia Episcopi Feltrienfis.

f In Actis in Arce sancti Angeli Romæ.

g Primo Aprilis, ex Diario.

h 4 Aprilis, ex Actis in Arce S. Angeli.

i Diar. Masarelli, 5. Augusti.

k Ex Epistola ministri Farnesiani, 25. Martij 1547. & Dandini Nuntij in Gallia ad Cerninum, 4. Maij 1547.

l Habetur in volumine Actorum, ut dictum est.

dere ausi non sunt, quin aliqui ne resignare quidem eas voluere abfque Oratoris Toletani permisso. ° Is quo tempore translatio peracta est, Romæ degens, ad primos rei nuntios iussus fuit à Cæsare f nimis tardo consilio Tridentum regredi; & equis cursoribus Bononiâ iter faciens, & se per Aulicos apud Legatos excusavit, quod ipsos inuisere per festinationem sibi non liceret. Hic itaque vbi Tridentum peruenit, illis Patribus nomine Cæsaris indixit, vt ibi peristerent: qui postea h simul conuenerunt; sed in conuentu quid statuerint, incompertum mihi est, nisi vt à quibusuis functionibus, quæ Synodum saperent, abstinerent, ne schisma oriretur.

Errat quidem Suauis dum hæc litteras refert quasi minaces & imperiosius sonantes, & dum eas imprudentiæ Montani tribuit, & dum post habitam Sessionem datas enarrat.

At verò Theologi, peculiarium Sacramentorum, quæ nondum expensa fuerant, ac præcipuè Eucharistiæ ac Pœnitentiæ, examien Bononiæ prosequerantur. Pontifex interim l Legatis significauerat, se redditus ipsorum responsionibus de translationis euentu acquieuisse, simulque laudare consilium definitionibus supersedendi, nauandæque solùm operæ morum legibus, quippe passim gratioribus. Addebat, Galliæ Regem, verentem fortasse ne quid à Concilio detrimenti caperent Gallicanæ Ecclesiæ priuilegia, procliuorem suspensioni futurum, quæ Montano pariter probabatur. * Sed reflexe acriter à collega, quippe quæ speciosam ansam præbuisset Germanis ad suæ nationis Synodum conuocandam. Conspicatus postea Pontifex, Bononiensi Concilio nec Episcopos nec Oratores vllius Catholici extra Italiam Principis interesse, adeoque peculiaris magis quàm Oecumenici speciem præferre, retardanda potius Decreta censuit, quàm minùs decorè ac splendide promulganda; accedentibus præsertim precibus Didaci Mendozae Oratoris Cæsarei, qui Vegæ successerat ad Siciliae regimen transgresso, vt ea saltem haberi Cæsaris ratio videretur antequam ad Concilij functiones redirent, quæ haberi non potuerat antequam Patrum migratio sanciretur. Id ergo Pontifex per peculiarem tabellarium Patribus imperauit; adiecitque, ne interim tamquam legitimam translationem declararent, sed Sessio tantummodò prorogaretur.

Itaque die 19. Aprilis vniuersi Patres conuenerunt in Aula adium Campeggiorum, vbi primus Legatus degebat: ex quorum familia Thomas Feltrienfis Episcopus celebrem translationis apologiam edidit. l Ibi proposuit Montanus: Cùm socij omnes nondum coaluissent, nec res tractandæ satis fuissent expensæ, tum ob sanctio.

sanctiorum dierum ferias, tum ob podagram, quã dies plurimos ipse laborabat, opportunum videri, si opus prorogaretur in quintam feriam post Pentecosten, nimirum in diem secundum Iunij, retentã per Concilium ipsis facultate protrahendi restringendique præscripti temporis, etiam in generalibus congressibus; ita tamen, ut solemnibus Sessibus præstituto die 21. Aprilis nequaquam omis-
 1547.
 sã, in ea ipsa prorogatio decerneretur. Id omnibus probatum; ac postmodum iterato consensu exemplum Decreti recitatum, quod pariter eundem placuit. In priori cœtu solus Aloysius Lipomanus Antistitis Veronensis coadiutor censuit, in contumaces leuere animaduertendum. Habita postmodum est statuto die 21. Aprilis 1547. Sessio in Æde S. Petronio dicata. Solemniter sacrificauit Sebastianus Leccauela Noxiensis Archiepiscopus; perorauit Ambrosius Catharinus Minoritanus Episcopus: interfuere præter Legatos sex Archiepiscopi, duo de triginta Episcopi; extra quos sententiam suam scripto misere morbo præpediti Philippus Archintus Salutarum Episcopus, & Camillus Mentuatus Satrianus Antistes, & eius vrbs Moderator. Interfuere pariter quatuor Mendicantium Ordinum summi Præsides, & Abbas Cassinensis. Bononiã tunc aderant, & inde postero die profecti sunt duo Legati, Germaniam Galliamque petituri, qui cum Concilij Legatis tradita sibi mandata communicare, eademque ex eorum consilio opportuniùs componere poterunt: interim mortalium animis alte suspensis, in pluriãmne salutis, an in fulmen calamitatis esset hæc nubes eruptura.

m 21. Aprilis 1547.

Ex Diario Massarelli.

